



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

XI. Herzog Rudolph von Sachsen vereignet dem heil. Geist-Hospitale zu Eberswalde Hebungen, welche der Pfarrer Peter demselben vermacht hat, am 27. März 1322.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54734)

XI. Herzog Rudolph von Sachsen verzeignet dem heil. Geist-Hospitale zu Eberswalde Gebungen, welche der Pfarrer Peter demselben vermacht hat, am 27. März 1322.

In nomine sancte et individue trinitatis amen. Rudolphus, dei gratia saxonie, Angarie, Westphalie dux —. Notum — esse volumus omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, quod ob dei reverentiam et ejus matris virginis gloriose, et in remedium nostrorum peccaminum nec non nostrorum predecessorum, proprietatem dedimus de quinque choris filiginis, sitis in nostris molendinis ante murum civitatis nostre Everswolde, et unum talentum denariorum brandenburgensium, situm in nostro molendino, dicto Hegermolne, et in presentibus donando appropriamus sancto spiritui et sue domui seu Hospitali in predicta nostra civitate Everswolde, pacifice et tranquille perpetuis temporibus possidendam, quos inquam quinque choros filiginis cum uno talento denariorum brandenburgensium. Dominus Petrus, Civitatis sacerdos vel Clericus, suis comparavit denariis et legavit testamenti nomine sancto spiritui, suorum quoque ob remedium animarum progenitorum. Ita tamen, quod Plebanus ecclesie parochialis dicte civitatis, actu ibidem existens, et sui successores omnes, unam missam sancto spiritui, seu in hospitali dicte civitatis singulis diebus in mane celebrabit, seu celebrare faciet et sui per consequens successores perpetualiter celebrabunt et celebrare facient missam narratam in domo seu hospitali suprascripto, nec non dictam annonam vel filiginem cum denariis predictis ipse Plebanus recipiet singulis annis et sui recipient perpetue successores. Nostro maturo habito consilio super eo, et nostrorum heredum ac fidelium nostrorum diligenter. Ut autem nostra donatio nostre proprietatis, facta mature et cum bono consilio, stabilis permaneat et inconvulsa, presentes literas conscribi fecimus et sigilli nostri appensione autentici iussimus roborari. Testes hujus rei sunt Honorabilis Vir Dominus Nicolaus, Prepositus Bernowensis, noster capellanus karissimus, Henniking de Alvenslewe, Henricus de Rochowe, Anno de Sydowe, Buffo de Mylow, Conrad de Britzk, Conrad Bogelfack, nostri milites, et quam plures alii fide digni. Actum et datum Berlin, Anno domini Millesimo tricentesimo vicesimo secundo, sexta Calendas Aprilis.

Aus von der Hagen's Beschr., S. 248.

XII. Markgraf Ludwig gestattet dem Pfarrer zu Eberswalde frei Brenn- und Bauholz in den landesherrlichen Forsten, am 14. August 1325.

In nomine domini amen. Nos Lodewichus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, Comes Palatinus reni, Dux Bavarie, sacri Imperii Archicamerarius, recognoscimus per presentes, licet alias nemoribus nostris et in mericis, quod nulli ligna secare liceat, fecimus inhibere, tamen speciali gratia concessimus integraliter honorabili viro Plebano in Everswolde, quod ipse de prenominate nemoribus nostris et mericis ligna ducere de nostra licentia potest et secare in propria sua necessitate ad comburendum et edificandum, quantum sibi sufficere videbitur et indigere. Igitur vobis omnibus mericis nostras penes Everswald habentibus mandamus et volumus seriose, ut prefato plebano ligna ad edificandum et cremandum ad usum suum proprium et necessitatem